



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam  
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;  
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

**Aurelius, Cornelius**

**Antverpiæ, 1586**

Excusat se Imperator quòd non temere hoc munus acceperit, sed sola pietatis gratia. quam exponit, & domino Papae gratias agit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38123**

*Excusat se Imperator quòd non temere hoc munus acceperit, sed sola pietatis gratia. quam exponit, & domino Papæ gratias agit.*

**M**IRVM si non miraberis S<sup>m</sup>c Pater, cum sacratissimo fratrum tuorum collegio, me plurimis forsitan principibus, & robore & diuitiis & potentia longè inferiorum ad hoc excellentissimum imperatoriae dignitatis officium aspirare. Verum si rem ipsam boni consulere dignaberis, & me in his (quæ dicturus sum) haud grauatè exaudire, intelliget planè s. t. me non temerè aut ambitione inductum, vt istud tantæ molestiæ munus, (vt verum fatear) obire audeam: sed zelo quodam, nescio cælestine fato, an numine afflatum, ad omnipotentis Dei honorem, qui spretis omnibus Isai filiis, solum Dauid humilem elegit, hoc me attentare dumtaxat voluisse. Cùm enim nuper acciperem à narrantibus, solâ progenitorum meorum incuriâ Turcas à Christianitate duo propè Imperia, duodecim regna, & nongentas pænè vrbes abstulisse; indolui fateor, & vltra quàm credi potest, in me ipse contabui. Magnus etenim ille Philippus, à quo genitor meus sibi nomen sortitus est, quum esset in conuentu Ratisponensi, adeò



ab Ænea Silio ( qui tum ibidem imperatorias agebat vices ) de Turcarum in Christianos immanitate perorante, ad expeditionem in ecclesiæ hostes animatus est, ut non sine lachrymis, sanctè iurauerit se illi bello mox commodè affuturum, crucisque signaculum à Calisto Papa acceperit. At nescio quibus de causis aut certè fatis repugnantibus, omissum est tam necessarium tamque expediens prælium, nisi quòd res uti vno impetu mota, ita etiam facile sæpius residet, aut principibus ipsis forsitan ob voluptatem rem tantam omittentibus. Sed neque nos præterit, eundem quem diximus Philippum, ad Æneam Pium tum Pontificem, quum Nichone ageret, moturus inde in barbaros, oratores suos misisse, qui eius moram excusarent, quòd tum vndique intestina (proh dolor) bella resurgerent, neque facile esse, sua defendere & exteris interesse. Germani enim partim in se, partim in Pannonios ad arma properabant. Excitabantur Britanni eadem tempestate, duplici factione, quarum altera veterem in insula regem, altera fugato veteri, nouum in officio retinere conabantur. Hispani præterea eodem in tempore Barchinonensibus auxilio futuri, quos Aragoniæ Rex armis Gallorum adiutus



adiutus, bello premebat, omnia deturbabant. Et quid tum abauus meus senior ille Philippus equidem debilis ac ætate pressus ageret, in horum ferè medio constitutus, nisi suorũ futura timere spõlia, inuasiones & rapinas si abesset? Verum enim vero vt voto suo vel specie tenus satisfacere, & ecclesiæ rebus omnino nõ deesse videretur, collecto grandi suorũ exercitu, & valida nauium classe, misit filium suum quem vnice diligebat Antonium (Borgundiæ nothum vocitant) vt ob indictum Turcis bellum eius suppleat vices ac promissum. Is igitur vbi post plurima maris pericula tandem in Calabriam appulit, accepit à Duce regionis literas Philippi sigillo cõsignatas, quibus mādabatur prouincialibus loci, vt Antonium, si quando illuc venisset, morti adiicerent. Contretat Antonius literas, & patris sui sigillum aspiciens mirum in modum obstupuit, nihil sibi conscius aliquando perpetrasse quod genitorem suum offenderet. At mox hoc sola aulicorum factum esse persentiens perfidia, domum redire maturauit: ne quod in se tam enormiter factum excogitatumque doluit, etiam ipsi in patrem Philippum molirentur. Accessit his insperata mors summi Pontificis, qui tum iturus in bellum quod



quod Turcis indixerat, classem iam paratam in portu Anconitano, ducemque Venetorum Christophorum & Christi conmiliones habuit, relictis collegio Cardinalium, in usum nautalis belli & triremium, sexaginta milibus nummum aureorum. Quare sublato totius Christianitatis capite & pastore, oves dispersæ sunt, & quique in sua rediere, omnisque illius expeditionis apparatus & copia in spongiam imò in spumam (quod fertur) abiit, & redacta est in nihilum. Postremò quid de proauo meo referam imperatore Frederico tertio, quem vulgò ferunt aut ex Iudæorum tributis adedò auaritiæ deditum ut expensas ad prælia cauerit, aut certè somnolentiæ, ut in neutralitate (quam dicunt) summam sibi pacem constituerit & quietem. Etenim dum frequētes pro Christiana republica conuentus, tum in Italia, tum in Germania, celebrarentur, & iam capta Constantinopoli haud minimam paternæ hæreditatis suæ partem in Romondiola à Turcis audiret occupatam; vix potuit excitari ut obstaret, forsitan suapte natura pacis quàm belli amantior. Quamobrem quidam Cardinalium (qui tunc legatus aderat) dum nihil certi in tanta rerum anxietate & angustia decerneretur, sed diætā diætā  
semper



semper páreret, in hanc maximè sententiam, & quidem longa satis epistola ad summum rescripsit Pontificem: Si ita, inquit, sanctissime Pater, postea pugnabimus, uti nunc stertimus, proculdubio iam vicimus & triumphamus. Sic igitur & similia mecum repetens, confestim animo destinavi, (Deo mihi propitio facto) hanc meorum negligentiam resarcire. & vitam meam, meaque omnia pro ablatorum recuperatione promptissimis votis exponere. Si in hoc B. Pater delinquo, precor mihi ipse ignoscito. Non enim excidit nobis neque subterfugit, quantis sollicitudinibus & curis, nedum miseriis & periculis, hæc vestis qua me decorasti referta sit, ita ut ne humi quidem iacentem, eam tollere vellem: sed nescio quibus inflammer desideriiis, aut etiam fatis impellentibus, ut quietus esse non permittar, donec hanc ipsam patrum meorum maculam atque dedecus, aut meo sanguine, aut certe egregio quovis pro ecclesia Dei, subeundo facinore, & abolere, & abluere mihi concedatur. Alteram, atque adeò urgentem causam quæ me licet immeritum, ad hoc impulit munus subeundum, iste nunc Heraldus inter prandendum & calices tibi, si placet, mea voce coram recitabit.

*Supplicatio*

DEO